HARVARD
MEDICAL LIBRARY

VERITAS
VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/decaussafoecundi00baue

W. M. W.
1739, 1

13

DE CAVSSA FOECVNDITATIS GENTIS CIRCVMCISAE IN CIRCVMCISIONE QVAERENDA

INDVLTV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS LIPSIENSIS

SVB MODERAMINE

DN. IO. FRIEDERICI BAVERI

PHIL. ET MED. D. FACVLTATIS MED. ASSESS. ET ACAD. IMPERIAL. LEOP. CAROL. NAT. CVRIOS. COLLEG.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

RITE OBTINENDI

DISPVTABIT

M. IO. GEORGIVS HOFFMANN

LIPSIENSIS

MEDIC. BACCALAVR.

V. 1. 658.

DIE XXIII. IANVAR. MDCCXXXIX.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

regium

HARVARD COLLEGE LIBRARY
BEQUEST OF
WILLIAM McMICHAEL WOODWORTH
FEB. 19, 1915.

HARVARD
MEDICAL LIBRARY

VE RI TAS
VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

Gift of

Frederic T. Lewis, M.D.

PROOEMIVM.

PLacuit omnipotentiſſimo opifici ac mundi aedificatori ſapientiſſimo, vt rebus creatis facultatem ſeſe propagandi largiretur. Vaſtus vegetabilium campus flores ac frutices anniuerſarios nobis ſubminiſtrat, nec eorundem vlla ſpecies, quae auctumnali tempore diſceſſit, redeunte vere ceſſat ac deſideratur, ſed potius reuiuiſcens pulcrius regerminat. Etenim omnes herbas et arbores ſic demum maturas adpellamus, cum praeter flores fructusque cuiuslibet ſpeciei ſemina ad earum propagationem parata proſtent. Alterum regnum, minerale videlicet, contemplantes, mineras lapidesque per ſemen ſuum regenerari, veritati conſentaneum eſſe, merito arbitramur. Non rimabimur, particulae terreſtres, ſulphureae vel ſalinae ad generationem lapidum neceſſariae ſint, nec ne: nec inueſtigabimus, an prima materia generationis lapidum, quam diu in terrae viſceribus abſcondita latet, fluida vel ſolida ſit, freti vnanimi phyſicorum ſententia, ad omnem minerarum generationem petrificans ſemen requiri. Qui

regnum animale eiusque propagationem in tranſcurſu adtigit, ſine dubio nobiscum faciet, quod omnia ac ſingula animalia tam terreſtria, quam aquatilia genus ſuum conſeruent per ſemen cuilibet inditum. Quid ergo mirum, hominem, animal eminentiſſimum, eodem modo genus ſuum propagare? Licet magna quoquo verſus fere incolarum orbis terrarum copia inueniatur, nihilo tamen minus terram ſub oriente ſole prae aliis numeroſa prole ſuperbire videtur. Orientales omni tempore copia et numero ſe ab aliis gentibus diſtinxiſſe, ex ipſo ſacro codice ſatis ſuperque conſtat. GENES. *C. XLVI, 27.* legitur, quod omnis anima domus Iacobi, quae venit in Aegyptum, fuerit ſeptuaginta. EXOD. *C. XII, 37.* ingentem multiplicationem huius gentis, quae ſpatio 215. annorum facta eſt, teſtantur verba: *profecti itaque ſunt filii Iſrael e Rameſes in Succhot quaſi ſexcenta millia peditum virorum praeter minorennes.* Qui obiter geſta orientis reſpicit, quas ingentes cohortes Turcae, Perſae aliique Barbari in campum deduxerint, quo numeroſo grege noſtro tempore *Culichamus* Perſici regni iam Princeps Turcas adgreſſus ſit, hi autem vix credibili equitum turma violentiae iſtius reſtiterint, imo in hoc vſque tempus magna pertinacia contra auguſtiſſimi noſtri Imperatoris Romani et Ruſſicae Monarchiae arma ſocialia pugnent, haud ſine ratione immenſum pugnantium numerum obſtupeſcet. Nobis quidem obiicere quis poſſet, quod, cum haec plaga terrae adeo magnam in globo terreſtri occupet partem, ſine dubio ibidem magna incolarum copia ſit quaerenda. Haec licet a nemine in dubium vocentur, non tamen adſerere veremur, vix in reliquis terrae regionibus eadem milliaria aequantibus eundem hominum numerum inueniri. Inter omnes conuenit hiſtoriographos, in Perſica vrbe *Tau-*

ris

vis plures quam quinque centum millia habitare hominum, quale et de numero incolarum Conſtantinopolitanarum adfirmatur. Ingens hic populi orientalis numerus, qui in hiſce terris animaduertitur, foecunditatis harum gentium optimum ac luculentiſſimum eſt teſtimonium. Nullam vero rationem huius foecunditatis magis veritati accedentem inuenire potuimus, quam circumciſionem omnibus hiſce gentibus familiarem. Hoc argumentum non minus iucundum quam vtile, quo non ſolum Medici, ſed etiam Theologi ac Iureconſulti fructum capere poſſunt, ſpeciminis loco in medium proferre operae pretium eſſe duximus, vbi non ſolum circumciſionis eſſentiam, modum procedendi, ritus huius originem eiusque differentiam, ac quidquid Phyſicum ac Medicum de hac materia ſcire oportet, pro noſtri ingenii modulo ſumus examinaturi, operam nauantes, vt demonſtremus, circumciſionem eorumdem foecunditatem iuuare: cui vnam alteramque adiicimus quaeſtionem Medico-forenſem de ſterilitate a praeputio dependente. His noſtris conatibus vt D. T. O. M. benedicat, deuote precamur.

De

Cauſſa foecunditatis gentis circumciſae in circumciſione quaerenda.

§. I.

Circumciſio, quae a Graecis Medicis vulgo περιαίρεσις in ſeptuaginta virali autem verſione veteris nouique teſtamenti περιτομὴ adpellatur, eſt operatio manualis, qua cutis penis glandem cooperiens, quam praeputium dicimus, abſcinditur. Hanc operationem ad Chirurgiam referre tanto magis haeſitauimus, quanto certius ex hiſtoriis conſtet, eam apud omnes gentes vna eademque methodo haud inſtitui, eamque vel a ſacerdotibus, vel a Chirurgis, lanionibus vel etiam mulieribus fieri, qua de re ſuo loco fuſius ſumus acturi.

Circumciſio quid?

§. II.

Subiectum circumciſionis.

Pars, quae tamquam ſuperflua vel inutilis reſecatur, eſt membranoſa, quae balani glandem extra veneris actum operculi ad inſtar tegit, eamque circumcingit, ac nuncupatur ab Anatomicis praeputium. R. COLVMBVS *de re anatomica L. XXI C. 15.* de praeputio ita: *eſt pars extrema penis, eſtque pellis illa, qua glans integitur, quae in coitu ipſo, nunc ſurſum, nunc deorſum fertur, infinita, propemodum mulierum voluptate et tentigine.* Ab aliis Medicis praeputii nomine labra pudendorum muliebrium, quae exterius vterum ab aëre externo noxio muniunt, indicantur, vt eſt videre in L. DAVID. HERLIC. *de curat. grauid. puerp. et infant. C. I. p. 3.* quam denominationem autem, vt ſuperuacaneam noſtroque inſtituto parum inſeruientem merito intactam relinquimus.

§. III.

Ratio denominationis.

Licet per ſe clarum atque perſpicuum ſit, quid praeputii nomine intelligant Medici, tamen Vocabuli huius etymologiam penitus ſilentio praeterire non poſſumus, conſcii, rationem denominationis apud Auctores variare, eamque ab alia atque alia cauſſa deriuari. Plurimi ſtatuunt, quod operculum glandis penis virilis eam ob cauſſam nomine praeputii dicatur, quod ab Ebraeis, Turcis aliisque gentibus orientalibus amputetur, ita, vt ſuos natales a verbo *putare* ſeu reſecare petat. Sed huic vulgari opinioni oblocuti ſunt doctiores, alii tamen aliter. REGN. DE GRAAF *de Viror. organ. p. 76.* dicit, Romanos huicce parti prius praeputii nomen impoſuiſſe, quam ſcirent, illam a Iudaeis praeſcindi, hinc non a verbo praeputare, ſed potius loco, cui adhaeret, videlicet *pudendis*, hanc partem ita denominari Placet tamen pleriſque Criticorum Grae-

ca

ca origo. Πόϑη καὶ πόϑιον τὸ ἀνδεῖον αἰδοῖον. Σȣίδας. Haec BISETVS *Scholiaſtes* ad *Ariſtophanis* Θεσμοφοριαζ. v. 261:

Νὴ τὴν Ἀφροδίτην ἡδύ γ᾽ ὄζει ποσϑίȣ.

Ad quae alter *Scholiaſtes* BOVRDINVS ποσϑίȣ, τȣ͂ αἰδοίȣ πέος, quemadmodum ad v. 522. τὸ πόσϑιον, τ᾽ αἰδοῖον. Et idem ARISTOPHANES Νεφελ. v. 1050. πόσϑην μικρὰν habet. Qua re ad eiusdem Εἰρην. v. 1298. πόσϑιον. SCHOLIA *vetera*: ὑποκριζόμενοι ȣ῞τως ἔλεγον τὰ παιδία. ἢ ȣ῞τω λέγεται τȣ͂ βρέφȣς τὸ αἰδοῖον. Adde quoque SCHOLIA ad Σφηκ. v. 1106. Sed et πόσϑη DIOSCORIDI *L. IV. C. CLVII.* ipſum eſt praeputium, vnde IVLIO POLLVCI Ὀνομαστ. *Lib. II. C. IV. n. 176.* ὁ πόσϑης ἔρημος eſt ἀπεσκολυμμένος, vt IVNGERMANN hunc locum reſtituit. Sed adhuc clarius idem POLLVX l. c. n. 171. Ὥσπερ βάλανος τὸ τȣ͂ καυλȣ͂ ἄκρον. ȣ῟ τὸ τρόπημα, ἐρήϑρα. πόσϑη δὲ, τὸ ἐπ᾽ αὐτῇ δέρμα. ὡς ἀκροποσϑία. καὶ ἀκροποσσϑίον, τὸ πόσϑης πρȣ͂χον. ᾧ δὲ τὴν πόσϑην ἀπεδȣ͂ντο, τȣ͂τον τὸν δεσμὸν κυνοδέσμιον ὠνόμαζον. Ad quae confer paullo ante excitatum IVNGERMANNVM. Euoluas quoque, ſi placet, SCALIGERVM *Collect.* p. 244. VOSSIVM *Etym.* p. 406. et KVSTERVM ad *Ariſtoph.* Εἰρην. v. 1298. Ait autem SCALIGER l. c. inter alia: Praeputium quaſi προπόσϑιον, *non a praeputando. Nam et ſyllabae modulus refragatur, et prius ei parti id nomen impoſuerunt Romani, quam ſcirent a Iudaeis eam praeſecari ſolitam. Sed ſigma inde extritum eſt, vt a πυςός, putus prima corrupta aurum putum ciet.*

§. IV.

Subſtantia et ſedes praeputii.

Mittamus terminos, qui praeputii ſedem eiusque texturam adcuratius examinandam eſſe arbitramur. Conſtat ex ſupra dictis, praeputium eſſe integumentum cutaneum, quod balani glandem extra veneris actum circumcingit. Solent Anatomici corporis humani membrum, quo viri ad-

 pellamur,

pellamur, in tres diſtinguere partes, videlicet in priapum ſeu virgam, vrethram atque glandem. In alienum campum exſpatiaremur, ſi harum partium ſtructuram Anatomice examinaremus, quum ea ad amuſſim detecta ac examinata proſtet. Noſtro inſtituto inſeruire videtur, vt penem virilem in duas diſtinguamus partes, in baſin atque extremitatem. Baſin conſtituunt duo corpora cauernoſa ſeu ſpongioſa, quae peculiari ligamento oſſibus pubis per ſynchondroſin iunguntur ſeſeque ad extremitatem ſeu glandem, quae eminentior hiſce corporibus eſt pars, extendunt. Haec extrema penis pars duobus iam deſcriptis corporibus neruoſis ſpongioſis adponitur, vel, ſi verum fateri licet, corpora ſpongioſa, quae interuentu ſepti membranoſi iuxta longitudinem ſeparata excurrunt, obſeptum ibidem euaneſcens, vnicum corpus, balanum faciunt. Totum penem ambit valida ac robuſta quaedam membrana, quam *Ruyſchius* in tres diuidit laminas, duas extremas tendineas ac intermediam celluloſam, quae vero membrana cum praeputio, ad cuius illuſtrationem penis inuolucra examinanda veniunt, nullum plane nexum habere videtur. Exterius vero integumentum, quod ad communia referri meretur, et ex cute atque cuticula conflatum eſt, eo in loco, quo duo iam deſcripta corpora ſpongioſa vna cum vrethra in glandem abeunt, qui corona dicitur, capſulam format cutaneam, qua glans commode obuelatur. Haec capſula cutanea, quo congreſſus tempore retro ponatur, non ſolum perforata ſed interius etiam pellicula quadam neruoſa inſtructa eſt, quae conſtituit duplicationem, eam ob rationem ita fabricatam, vt in coitu eo volubilior ac mobilior reddatur, et mares tentiginem ſentiant ad concumbendum.

§. V.

§. V.

Praeter praeputii duplicationem ad iſtius agilitatem et mobilitatem multum conferre humorem quemdam circa glandis coronam ſecretum, veri ſimillimum nobis videtur. Adhuc ſub iudice Anatomico lis eſt, vtrum humor, qui circa penis coronam colligitur et poſt aliquam moram ſebaceam conſiſtentiam nanciſcitur, vel glandularum vel ductuum miniſterio ad hunc locum feratur. Obſcura ſunt, quae tradit VERHEYN. *Anat. T. II. C. XXIV. p. 119:* „In iſto penis collo, id eſt omnino prope glandem, pluri„ma ſpectantur corpuſcula globoſa, et etiam aliqua in prin„cipio glandis, veriſimiliter glandulae, quarum ope dictae „partes irrigantur, vt glans data opportunitate modo ex„tendatur, modo in praeputium retrahatur facilius.„ Maiorem huic rei accendit lucem MORGAGNIVS *Aduerſ. Anat. p. 8.* qui praeparationem huius humoris hanc vult: „In tauri et canis praeputio folliculos ſecretorios facilli„me demonſtrare valemus, in homine vero non, niſi in „glandis corona certae exiſtunt glandulae, magna varietate, „modo duobus, modo tribus, modo quatuor vel quinque „ſeriebus glandis coronam ambientes, quae vel in coronae „dorſo, vel eiusdem lateribus inueniuntur. Quod alii glandulis adtribuunt munus ſecretorium, SANTORINVS *Obſeruat. Anat. C. X. p. 189.* certis quibusdam ductibus adſcribit: Citra glandis coronam, qua ſcilicet eiusdem „membrana pro efficiendo praeputio reflecti et a ſubiectis „corporibus nerueo-ſpongioſis diduci incipit, quasdam, „ſeu foueolas, ſeu porulos, ſeu mauis inſculptos ductus, „aut ductuum oſcula reperimus, quae in orbem poſita lo„cantur. Horum ſingula ſuperficietenus ſetae apicem vl„tro admittunt, altius tamen nonnulla, quae circa frenum „potiſſimum ſita ſunt. Ex his in altero latere decem, in *Glandulae glandis penis.*

altero

„altero vix nouem deprehendimus. Inaequalis eorum eſt „magnitudo ac interiectum ſpatium. Nobis perinde eſt, ac ſub ſchemate glandularum vel ductuum huius materiae ſecretae ſcaturigines concipiant, qui hancce controuerſiam vlteriori Anatomicorum diſquiſitioni nunc quidem in medio relinquimus.

§. VI.

Praeputium vinculo carnoſo glandi adhaeret.

Hoc integumentum membranoſum, quod praeputii nomine venit, vinculo quodam carnoſo, immediate retro glandem, circa corporum ſpongio-neruoſorum finem prodeunte, glandi adhaeret, cui etiam in meliorem iſtius receptam ſinus eſt. Hoc vinculum peculiari nomine frenum Anatomici inſigniuerunt, eumque in finem a prouida natura creatum eſſe putamus, vt peracto negotio coniugali praeputium ſe recipiat, glandemque rurſus ambiat.

§. VII.

Deſcriptio glandis penis.

Quo vſus praeputii nobis clarior fiat, operae pretium erit, vt glandem penis virilis adcuratius inſpiciamus. Diximus §. IV quod duobus corporibus neruoſis ſpongioſis haec penis extrema pars adponatur ita, vt non inepte pro horum corporum neruoſorum ſpongioſorum continuatione haberi queat. Subſtantia ideoque mere eſt neruoſa, eiusque ſuperficies laeuis et valde ſenſilis deprehenditur, quae ſenſibilitas inde dependere videtur, quod non cute, ſed cuticula ſubtiliſſima glans penis obducta ſit. Quod vero cuticula haecce reliquis penis membranis ſubtilitate antecedat, loquitur ipſius glandis color rubicundus, ex quo argumentamur vaſcula ſanguifera ob membranae ſubtilitatem pellucere. Maximum denique ad glandis penis ſenſibilitatem conciliandam conferre videtur papillularum neruoſarum abundantia, e quibus ſuperficies huius partis eſt contexta, quam papillularum neruoſarum exiſtentiam

FRID.

FRID. RVYSCHIVS *Obſeruat. C.* deſcribit, quae etiam in quolibet pene rigido facili demonſtratur negotio.

§. VIII.

Quum ergo hoc generationis organon ex variis iisque diuerſis partibus concinne ſit factum, eiusque textura adeo delicata, mirari deſinamus, quod ſummus rerum Creator extremam huius membri partem peculiari operculo muniuerit, ſed potius credamus, ſapientiſſimum conditorem hanc pellem in prima creatione haud fruſtra feciſſe, nec illam vilipendendam vel pro ſuperfluo reputandam eſſe. Putat GALENVS *L. XI. de vſu part. C. XIV.* praeputium pudendis ornamenti et pulcritudinis cauſſa inſeruire, cui BAVHINVS *Theat. Anat. L. I. C. 32.* adſtipulatur. Sed horum fundamentum admodum eſſe ficulneum, quilibet nobiscum adfirmabit, qui perpendit, ſemper cultioribus populis genitalia vtriusque ſexus magna fuiſſe in veneratione, ita, vt eam ob cauſſam verenda ceu ſancta habenda, vel ſi CELSO *L. VI. C. 18.* magis adplaudendum eſt, obſcoena adpellari debeant, quae ob pudicitiam obuelari merentur. Vſus ergo primarius huius integumenti in eo conſiſtit, vt partem adeo delicatam atque mollem, quae penis glans eſt, ab omnibus iniuriis ab extra metuendis defendat, eiusque ſenſibilitatem conſeruet et impediat, ne cuticula ſubtiliſſima obduretur, et callum induat. Vt paucis omnia, quae de vtilitate huius veli in medium proferri merentur, comprehendamus, eundem praeputio adtribuendum eſſe vſum, cenſemus, qui oculorum palpebris iure meritoque competit. Licet enim iis facultatem viſus non adſcribamus, tamen a nemine in dubium vocatur, eas ad conſeruationem organorum viſionis omnino facere.

Vſus praeputii primarius.

§. IX.

Praeputii vſus ſecundarius.

Sunt nonnulli, qui praeputio alium inſimul adtribuunt vſum, videlicet, quod ad augendam voluptatem in concubitu aliquid contribuat. Hoc R. COLVMBVS *l. a.* et ALBERTVS KYPERVS Anthrop. *L. I. C. IX.* confirmant, quorum vltimus de hac re ita loquitur: *praeputium deuolutum et reuolutum ſupra glandem diuerſa ratione in coniunctione maris et feminae miram voluptatem feminis concitat; vnde recutitorum feminae magis delectantur copia eorum, quibus praeputium ſaluum eſt;* cui ſubſcribit DIEMERBROEK *Anat. L. I. C. XXIII.* quod hanc ob cauſſam Turcarum et Aethiopum feminae Chriſtianorum ſeruorum conſortium, tamquam delectabilius, magis expetant, quam aliorum circumciſorum.

§. X.

Circumciſionis origo.

Quae cum ita ſint, mirari quis poſſet, cur praeputium, varia ac diuerſa ratione homini inſeruiens, abſcindatur; mirari tamen deſinet, qui perpendet, lege Diuina hanc conſuetudinem apud Iſraelitas eſſe introductam; etenim ſummus legislator in ſacri codicis *L. Geneſ. C. XVII.* circumciſionem praecepit: *circumcidetis carnem praeputii veſtri, vt ſit in ſignum foederis inter me et inter vos. Quum filius fuerit octo dierum, circumcidetur vobis omnis maſculus. Erit itaque foedus meum in carne veſtra in foedus aeternum; ita vt maſculus, qui praeputiatus non circumcidet carnem praeputii ſui, eius anima exſcindatur ex populis ſuis, eo quod foedus meum irritum fecerit.* Omnipotentiſſimus igitur ipſe Deus auctor fuit huius operationis in ſignum foederis ſanciti Iudaeis, quem ritum religionis populus Iudaicus in hunc vsque diem conſtantiſſime ſeruat.

§. XI.

§. XI.

Non ſolum Iudaeis, ſed etiam aliis gentibus circumciſio eſt familiaris.

Caue tamen credas ſolis Iudaeis ritum circumciſionis eſſe familiarem. Colchis, Aethiopibus, et Troglodytis atque Aegyptiis, Syris et Phoenicibus, pudenda editorum infantium circumcidere in vſu fuiſſe, refert ALEXANDER AB ALEXANDRO *Genial. Dier. L. II. C. XXV.* veterum auctoritate, quos, ſi placet, in notis ad eum indicatos habere potes. De recentioribus temporibus conſtat, Turcas, Perſas, Habeſſinos aliasque gentes praeputia circumcidere, hac tamen differentia, quod modus aeque ac finis circumciſionis multum inter ſe differant. Qui ergo ſacrum codicem pro vetuſtiſſimo hiſtoriarum fonte habendum eſſe cenſemus, non ſine fundamento argumentamur, omnes gentes, quotquot circumciſioni ſubiectae ſunt, vel ob vicinitatem, vel ob nexum amicitiae, partamque victoriam, cuius in L. IVDITH *C. XIV. v. 6.* exemplum eſt videre, Iudaeis ritum huncce debere.

§. XII.

An circumciſio ab Aegyptiis ſuam habeat originem?

Iam ſunt nonnulli eruditorum, qui non Iudaeis, ſed Aegyptiis circumciſionis originem tribuendam eſſe putant. IOB. LVDOLFVS *Hiſt. Aethiop. L. III. C. I.* vult, Aegyptios illam primitus inſtituiſſe vel ab Aethiopibus didiciſſe, dehinc ad alias gentes, Colchos, Phoenices, Syros manaſſe cet: Eamdem fouet opinionem IO. MARSHAMVS *Canon. Chronic. p. 73.* Abrahamum, cum Aegyptum ingreſſus ſit, nondum circumciſum fuiſſe, poſt ea vero anno ſuae aetatis nonageſimo nono non ſolum ſe ipſum, ſed etiam filium ſuum Iſmaelem et omnes ſuae familiae mares circumcidiſſe, eiusque poſteros, dum in Aegypto commorati ſunt, legi huicce ſe ſubieciſſe, poſt exitum vero eamdem neglexiſſe. Huius opinionis fundamentum videntur ſibi inueniſſe in iſtis HERODOTI *L. II. C. 104.*

Μȣ̂νοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ᾽ ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύροι οἱ ἐν τῇ Παλαιςίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέȣσι παρ᾽ Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες οἱ τȣ́τοισι ἀςυγείτονες ἐόντες, ἀπὸ Κόλχων φασὶ νεωςὶ μεμαθηκέναι: ȣ̂τοι γάρ εἰσὶ οἱ περιταμνόμενοι ἀνθρώπων μȣ̂νοι· καὶ ȣ̂τοι Αἰγυπτίοισι φαίνονται ποιεῦντες κατὰ ταυτά. αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων ȣ̓κ ἔχω εἰπεῖν, ὁκότεροι παρὰ τῶν ἑτέρων ἐξέμαθον. ἀρχαῖον γάρ δή τι φαίνεται ἐόν· ὡς ἐπὶ μισγόμενοι Αἰγύπτῳ ἐξέμαθον, μέγα μοι καὶ τόδε τεκμήριον γίνεται. Φοινίκων ὁκόσοι τῇ Ἑλλάδι δ᾽ ἐπιμίσγονται, ȣ̓κέτι Αἰγυπτίȣς μιμέονται κατὰ τὰ αἰδοῖα. Haec argumenta, licet ſpecioſa ſint, iis tamen vt ſubſcribamus, non ſine fundamento haeſitamus. Etenim Herodotus nullum determinat tempus, nec credendum eſt, populum aliquem morem inſuetum et dolorificum, qualis eſt praeputii amputatio, ſua ſponte adſumere, niſi legibus ad eum accipiendum obſtringatur, quod de Iudaeis neutiquam vero Aegyptiis conſtat. Ipſe denique Herodotus iam olim a IOSEPHO Ἰȣδαϊκ. Ἀρχαιολ. *L. VIII. C. X. n. 3. et* κατὰ Ἀπιων *L. I. C. XXII.* caſtigatus eſt, quem et GRONOVIVS de falſitate pluribus arguit, quibus adde DACHSELIVM *Biblia Ebraica accentuata ad Gen. C. XVII. v. 27. p. 164.* Huius controuerſiae argumenta in vtramque partem ventilata in L. SPENCERI de *legibus Ebraeorum ritualibus* fuſius examinata proſtant.

§. XIII.

Nonnulli ex Chriſtianis circumciſionem patiuntur.

Non ſaltem apud infideles, ſed etiam nonnullos Chriſtianos conſuetudinem, praeputia circumcidendi eſſe introductam, hiſtoriographi vno alteroque teſtantur exemplo. MAFFEIVS *Hiſt. Ind. L. III.* de incolis inſulae *Sacotorae* refert, quod illi, licet ſint Chriſtiani, tamen circumciſioni ſubiecti. Idem de inquilinis inſulae Madagaſcar confir-

confirmat IAC. STRAVSSIVS *Itinerar. L. I. C.* 2. quod certo anni tempore mares circumcidant, quamquam ad Chriſtianorum claſſem referri debeant. Habeſſinorum gens, quod more Iudaeorum infanti octauo die poſt natiuitatem praeputium abſcindat, Iudaiſmo ſe reddit ſuſpectam, a quo tamen eam liberare voluit Claudius Aethiopiae Rex: *circumciſio noſtra ſecundum conſuetudinem regionum fit, ſicuti inciſio faciei in Aethiopia et Nubia et ſicut perforatio auris apud Indos. Id autem quod facimus, non facimus ad obſeruandas leges Moſaicas, ſed tantum propter morem humanum.* Vid. citat. LVDOLFFI *Hiſt. Aeth.* l. c. De Tartaris denique, qui *Vlani* dicuntur, et ſceptro regni Poloniae ſubiecti ſunt, notum eſt, quod circumciſionem patiantur.

§. XIV.

Non tamen ſolum mares, ſed etiam femellae in quibusdam regionibus circumcidi dicuntur. Haec vero circumciſio maxime differt ab illa, quae in maribus fieri ſolet, ac neutiquam ex religione, ſed tantum ob decorum vel conſuetudine. Meminit VESLINGIVS, qui Cairi quinquennium vixit, in *Syntagm. Anat. C. VIII. p. 108.* Arabibus Aegyptiisque mulieribus clitoridis enorme incrementum endemium eſſe malum, quae clitoridis prominentia, vtpote puellis valde indecora, protenus abſcindatur. Idem confirmat BARTHOLINVS *Anat. reformat. L. I. C. 34.* neceſſitatem huius circumciſionis oſtendens, quod in hiſce regionibus puellae ſine velamine incedant, poſt circumciſionem vero vel inchoatum matrimonium induſio veſtiantur. De clitoridis hac excreſcentia REGN. DE GRAAF *de mulierum organis C. III. 136. ſeq.* ita loquitur: *quo magis excreſcit clitoris, eo magis coitum impedit, ea enim praeter modum turgens, inſtar Priapi hortum muliebrem*

Circumciſio femellarum.

 liebrem

liebrem a virili impetu tuetur: quam ob rem conductis ad id prouectioris aetatis feminis illam exurunt orientales mulieres et Aegyptii hanc pſeudo virgam nupturis virginibus exſcindere conſueuerunt. His accedit THEVENOT *Voyage P. II. C. 74. Les Mores ont quelques ſuperſtitions que les Turcs n'ont pas, car les Mores circonciſent leur filles, leur coupant un petit morceau de ce qu'on appelle Nymphe et ce ſont des femmes, qui ſont cette circonciſion des filles. Les Turcs ne ſont point cela, ils circonciſent ſeulement les garçons;* quod meminit de Nympharum circumciſione, ſine dubio de clitoride intelligendum eſſe, opinamur, quum nullibi animaduertatur, nymphas adeo in ſexu femineo apud Orientales excreſcere, vt exſcindi opus ſit. Simili modo Perſas cum ſuis puellis agere, teſtantur PETR. BELLONIVS *Obſeruat. L. III. C. 28.* PITH. VON DER QVELLE *Leben und Thaten des Schach Nadyr: p. 738.* et TENZELIVS *Monatl. Unterredung M. Dec. 1690. p. 1082.* Feminae Iudaeorum in Germania multo ſunt feliciores orientalibus, quippe quae voluptatem coniugalem adeo doloroſo pretio redimere non ſolent. Quod autem in ſeptentrionalibus Europae et Aſiae regionibus nec apud Turcarum mulieres clitoris adeo excreſcat, LVDOLFFVS *in Comment. ad Hiſt. Aethiop. p. 273.* hanc reddit rationem, quod homines ſub zona torrida degentes, vultu, colore, capillis aliisque corporis partibus ab aliis ſeſe diſtinguant. Ceterum ſi de circumciſione femellarum verum fateri licet, cenſuerim, titulo circumciſionis minus congrue inſigniri, quod apud plurimas gentes ſanitatis cauſſa ſine vllo religionis charactere fit, vt id meliori iure exciſionem dixeris.

§. XV.

Tetra femellarum circumci-

Tetra ac deteſtabilis eſt circumciſio, quam, referente

DAP-

DAPPERO *in Deſcriptione Africae p. 498.* incolarum Kalbariae, Krikeae, Mokiae aliarumque vicinarum regionum patiuntur filiae. Baculum, cui formicae inhaerent, in vaginam intrudunt puellarum, quo morſu horum animalculorum clitoris omnem amittat ſenſum, qua abſurda methodo tamdiu continuant, donec puellarum genitalia callo obducta conſpiciuntur, quo tempore puellae ſatis vexatae ad inchoandum matrimonium habiles iudicantur. Incolae nullam aliam ridiculi ac abominabilis modi reddunt rationem, quam, quod ab antiquiſſimo tempore ita circumcidere ſoleant filias. *ſio apud Calbaros.*

§. XVI.

Paucis alicuius circumciſionis ſpeciei, quae in India apud Benianos et Rasbutos introducta eſt, faciamus mentionem. Hae gentes non genitalia, ſed linguam circumcidunt ita, vt fruſtulum linguae ex peculiari religione abſcindant, quae mutila lingua, ſi credere fas eſt, cum tempore in integrum recreſcat. vid. FRANCISCI *Geſchicht-Kunſt-und Sitten-Spiegel L. III. p. 980.* *Quidam ex Indis linguam circumcidunt.*

§. XVII.

Nec ſilentio praetermittere poſſumus, quod in Braſſilia gentes, quae Tapuii dicuntur, eiusmodi inſuetum circumciſionis ritum exerceant ſequentem in modum: populi huius exorciſtae infantis manus pedesque laqueo probe contorquent, quo ſeſe mouere nequeat. Alius horum ſacerdotum ligno mucronato infantis labia et auriculas perforat, vulneraque inflicta officalis replet, quo facto circumciſionem eſſe peractam ſibi imaginantur. vid. FRANCISCI *Oſt-und Weſt-Indiſchen Staats-Garten f. 1681.* *In Braſſilia loco circumciſionis labia et auriculae perforantur.*

§. XVIII.

Mittamus omnem circumciſionis modum, qui vel in mulieribus, vel in diuerſis corporis humani partibus fit, *Ritus circumcidendi apud Iudaeos.*

et cui

et cui improprie circumciſioni nomen eſt. Ad eam potius regrediamur circumciſionem, quae in ſexu virili et tantum partibus generationi dicatis celebratur. Solent Iudaei ſuos infantes in hunc modum circumcidere. Octauo a natiuitate die infans ab omnibus ſordibus probe ablutus bene mane in locum portatur circumciſionis, in quem duodecim candelae ceraceae, duo pocula vino rubro repleta, inſtrumentum circumciſionis et duae patinae, vna ſabulo, altera vero oleo repleta transferuntur. Quum omnia ſint parata, quae operationi inſeruiunt, circumciſor, qui *Mohel* ipſorum lingua audit, adprehendit infantis praeputium, quod digitis bene contundit comprimitque, quo illud inſenſibile fiat, quo facto et recitata benedictione et gratiarum actione circumciſor ſine mora extremam praeputii partem cultello acutiſſimo reſecat, et reſecatum praeputium in patinam arena repletam coniicit. Vulnus nec non faciem infantis circumciſor vino rubro adſpergit eum in finem, ne lipothymia corripiatur tenellus. Sanguinem poſtea membro exſtillantem operator ore ſuo ſugit, exſuctumque in alterum exſpuit poculum. Cum vero hac ſectione totum non abſcindatur praeputium, ſed potius iſtius aliqua pars circa balani coronam reſtet, Ebraeus, quae peracta ſectione remanſerunt filamenta, acutiſſimis ſuis vnguibus abradit atque ſcalpit, qui vltimus procedendi modus doloroſior et tenellis moleſtior eſſe ſolet, quam ipſa circumciſio. Qui ante octauum a natiuitate diem e vita excedunt, eos vel mortuos ſtupida Iudaeorum gens ante ſepulturam circumcidere ſolet.

§. XIX.

Circumciſores apud Iudaeos quales ſint.

Cuilibet ſine diſcrimine non facile committere ſolent Iudaei circumciſionis opus, ſed eiusmodi eligunt circumciſores, qui artis ſuae ſatis ſunt periti. Ideoque ad hanc adqui-

adquirendam peritiam illi, qui olim munere circumciſoris fungi volunt, pauperum Iudaeum pecunia conducunt, vt permittat in filio ſuo circumciſionis experimentum facere, quo feliciter peracto, is, qui ſuo officio ſatisfecit, ad hoc negotium admittitur, et vnguibus acuminatioribus, quos in pollice vtriusque gerit manus, ab aliis Iudaeis facile diſtinguitur. Sequiori ſexui gens Iudaica circumciſionem non facile concedere ſolet, quamquam ex ſacris litteris exemplum Ziporae feminas ab hac re non plane excludendas eſſe doceat. Quod ſi vero pater filii recens nati in hac re ipſe probe ſit exercitatus, illam ſine contradictione in ſe recipit, quo exemplo argumentari poſſumus, quod totum hocce negotium meliori iure ad artem Chirurgicam quam ad rem ſacerdotalem referri debeat.

§. XX.

Qua ex materia inſtrumentum circumciſionis?

Qui cultris lapideis circumciſionem eſſe faciendam volunt, adlegant ex ſacris paginis *Exod. C. IV. v. 25.* Si autem hiſtoriographorum relationi fidem habeamus, largiri poſſumus, quod ex quauis materia, modo acie debita praeditum ſit, inſtrumentum queat fieri. Plurimum tamen nouacula chalybeia quam acutiſſima, qualis barbaetonſori eſſe ſolet, in hoc negotio adhibetur. Reiicit SCHMIDIVS Tr. *de Circumciſione* p. 232. cultros ex canna confectos, quum maximum inde damnum infanti eueniat. Plura qui deſiderat circa circumciſionem Iudaicam notatu digna adeat ERASM. FRANCISC. in Tr. *Luſtige Schau-Bühne P. III. p. 252. ſequ.* LVNDIVM *Iudiſch. Heiligth. L. IV. C. XXIII.* p. 480 ſeqq. RELANDVM *Antique ſ. vet. Ebraeor. P. I. C. X. §. 8.*

§. XXI.

Turcarum circumcidendi modus.

Parum quidem differre videtur circumcidendi modus, qui Turcis familiaris eſt, ab illo, qui a Iudaeis inſtitui

ſolet. Quum vero in iſto circumſtantiae occurrant commemoratu dignae, lubet eumdem ex BARTH. GEORGIEWITZII Tr. *de Turcarum moribus*, transſcribere plene, quod eius Auctor huic ritui ſaepius interfuit: Puer non defertur in templum, ſed in domibus parentum circumciditur. Vtuntur circumciſione, eorum lingua Tſunet dicta, non octaua die, more Iudaeorum, ſed quam primum natus ſeptimum aut octauum annum exegerit, ſermonis iam peritus. Conuocatis amicis ad conuiuium, quibus ſatis delicata parantur fercula ex omni genere carnium, quo ipſis veſci licet, et paſſim, vt apud ditiores, bos caeditur, in hunc excoriatum et exenteratum includunt ouem, in qua gallinam et in illa ouum; quae integre aſſantur ad ſplendorem illius diei. Deinde inter epulas tempusque coenae adducitur puer circumcidendus, cuius Medicus glandem retegit et replicatam pellem forpiculis adprehendit: deinde quo metum adimat puero, ait, ſe in proximum diem circumciſionem peracturum, atque ita diſcedit: mox ſimulans, quaſi omiſſum aliquid eſſet, quod ad praeparationem adtinet, ex improuiſo praeputium abſcindit, vulneri parum ſalis et bombaſini adponens. Die circumciſionis non induntur nomina, ſed ipſo die natali, quo in lucem eduntur. Poſt ea continuato trium dierum conuiuio, circumciſus ducitur in balneum cum maxima pompa. Cum redit domum, ducitur per conuiuas, qui parata illi munera offerunt. Si autem ex Chriſtianis quispiam ſua ſponte confeſſo Mehemmeto circumcidi ſe patiatur, quod ſaepe contingit propter grauiſſimum iugum et onus tributi, talis ducitur per omnes vicos atque plateas ciuitatis ſummo cum honore et gaudio populi, ipſique dantur munuſcula et immunis efficitur a ſolutione tributi. Quod autem pueri apud Turcas anno octauo nono et vltra circumcidantur,

hanc

hanc reddunt rationem, quod Iſmaelem, qui anno aetatis decimo tertio, vt *Geneſ. C. XVII. v. 25.* traditur, circumciſus eſt; gentis ſuae originem conditoremque celebrant. Nec ſilentio praetereundum, eam rem a Turcis magis ad Chirurgicos quam ad ſacerdotales ritus referri videri, quae non a ſacerdotibus ſed Chirurgis, vel, quibus curta ſupellex, lanionibus adminiſtratur, cui addere lubet, quod Sultani a ſupremo caſtrorum praefecto, qui Gros-Vezir dicitur, vel a Baſſa primi ordinis circumcidantur. Reſecta praeputia horum principum in patina aurea matri, et nouaculae cruore tinctae auiae, vel ſi haec non amplius ſuperſtes, matri quoque mittuntur.

§. XXII.

Circumciſionis ritus, qui apud Perſas in hoc negotio introductus eſt, et Turcarum procedendi modus inter ſe diſſimiles non ſunt, dum in vtroque regno Mahomediſmus celebratur. In eo tamen differunt, quod Perſae non ſolum mares, ſed etiam feminas circumciſionis legi ſubiiciant, de quo iam ſupra §. XIV. Differt porro haec circumciſio ab Aegyptiorum aliarumque gentium, quae puellas circumcidunt, quod illa apud Perſas nexum cum religione habere videatur; etenim neceſſe eſt, vt ante circumciſionem breuem confeſſionis fidei recitent formulam, quod in aliis gentibus non requiritur. *vid.* PITHAND. VON DER QVELLE *Hiſt. Perſic. l. c.*

Perſis idem familiaris.

§. XXIII.

Sed redeamus ex diuerticulo in viam et examinemus, cur iuſſu ſummi Numinis populo Iudaico praeputia circumcidenda fuerint. Equidem ſi GABRIELEM FALLOPIVM ſequeremur, omni examine ſuperſederemus, qui *T. II. f. 340.* ita loquitur: *ſi quaeratur, cur Deus altiſſimus in populo electo inſtituit, vt auferatur praeputium, cauſ-*

Scopus circumciſionis.

ſae ſunt aeternae et poſitae in mente altiſſimi, quas non oportet dicere in profanis ſcholis. Sed neque Theologis nec etiam Phyſicis vitio verti poſſe, arbitramur, ſi in phaenomena naturalia inquirunt, modo ſimul deuotiſſima mente diuinam ſapientiam venerentur. Nos phyſice hanc rem examinaturi rationes morales Theologis excutiendas relinquimus. Vel ipſe ſacer codex innuere videtur, circumciſionem populo Iudaico in gratiam foecunditatis eſſe praeceptam. Dixit enim Deus *L. Geneſ. C. XXII. v. 17.* ad Abrahamum, poſt, quam circumciſio iam erat inſtituta: *benedicendo benedicturus ſum tibi et multiplicando multiplicaturus ſum ſemen tuum ſicuti ſtellas coeli et ſicuti arenam, quae ad littus maris.* Quis non videt, benedictionem gentis Iudaicae in foecunditate et facultate ſeſe propagandi conſiſtere, quo certius omnibus gentibus promiſſus Meſſias exſpectari queat. Etenim poſt Saluatoris noſtri incarnationem ab ipſo Apoſtolo PAVLLO *in Ep. ad Gal. C. V.* circumciſio corporalis et Moſaica pro ſuperfluo et inutili declaratur. Et, niſi fallor, ſapientiſſimus Moſaicarum legum interpres Ieſus Chriſtus illud ipſum confirmat *Ioh. C. VII. v. 23.* Ἐι περιτομὴν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως ἐμοὶ χολᾶτε, ὅτι ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαββάτῳ. Nec a veritatis tramite quis aberrabit, qui cum FALLOPIO *l. c.* putat, eam ob cauſſam a Deo circumciſionem eſſe imperatam, ne populus ſibi dilectus voluptatibus venereis nimis indulgeat, et cum praeputium hanc voluptatem adaugeat, quod ſupra probauimus, hiſce delectationibus cultus Diuinus negligeretur. Omnem tamen abſoluit paginam SPENCERI in *L. de Legibus Ebraeorum ritualibus L. I. C. IV.* opinio: primam cauſſam eſſe naturalem, vt ritu illo morbo occurreretur, cui partes illae naturales in oriente praeſertim obnoxiae credebantur,

et vt abſciſſo praeputio Iudaeorum natio magis habilis et idonea ad ſobolem procreandam redderetur. ALEXANDER AB ALEXANDRO loco ſupra citato *L. II. C. XXV.* eamdem fouet opinionem: *Colchis, Aethiopibus et Troglodytis atque Aegyptiis, Syris et Phoenicibus, pudenda editorum infantium circumcidere in vſu erat, hoc non mediocriter vitae commodis conducere arbitrati: quo commento labes corporum et eluuiones dilui putabant, cet.*

§. XXIV.

Ne paradoxum videatur, quando adſerimus, gentem circumciſam ad ſobolem procreandam magis eſſe idoneam quam Chriſtianam, ſciendum eſt, quod iſta ad inchoandum matrimonium multo citius progrediatur et filios ſuos ad ducendas vxores admittat, quando iure ciuili Romano vix iuuenilem aetatem adtigerint. Solent enim Ebraei anno decimo tertio filiis ſuis pubertatem adiudicare, vid. LVNDIVS *l. c. L. III. C. III.* p. 417. qua aetatis periodo filios ſuos numquam puberes declarauerint Chriſtiani hodierni. Iuſtiniani Imperatoris auctoritate pubertatis tempus ita in ordinem diſpoſitum eſt, *princ. Inſt. quibus modis tutela finitur*: *Pubertatem autem*, inquit, *veteres quidem non ſolum ex annis, ſed etiam ex habitu corporis in maſculis aeſtimari volebant. Noſtra autem Maieſtas, dignum eſſe caſtitate noſtrorum temporum exiſtimans, bene putauit, quod in feminis etiam antiquis, impudicum eſſe viſum eſt, id eſt, inſpectionem habitudinis corporis, hoc etiam in maſculos extendere et ideo noſtra ſancta conſtitutione promulgata pubertatem in maſculis poſt decimum quartum annum completum illico initum accipere diſpoſuimus: antiquitatis normam in feminis bene poſitam in ſuo ordine relinquentes, vt poſt duodecim annos completos viri potentes eſſe credantur.*

Circumciſi citius pubeſcunt quam Chriſtiani.

tur. Sunt autem verba conſtitutionis, ad quam D. Imperator prouocat, *L. vnica C. quando tutores vel curatores eſſe deſinant: Inde eorum obſeruationem in examinanda marium pubertate, reſecantes, iubemus, quemadmodum feminae poſt impletos duodecim annos omni modo pubeſcere iudicantur, ita et mares, poſt exceſſum quatuordecim annorum puberes exiſtimentur: indagatione corporis inhoneſta ceſſante.* Nec hoc a Iuſtiniani temporibus inualuit. Iam TERTVLLIANVS *de Virginibus velandis* C. XI. *Tempus etiam ethnici obſeruant, vt ex lege naturae iura ſua aetatibus reddant. Nam feminas quidem a duodecim annis, maſculos vero a duobus amplius ad negotia mittunt.* Hoc tempus pubertatis haud abſolute admittendum eſſe, non ſolum legum moderatores ſed etiam Medici vnanimi conſenſu hodie monent. Quum enim in ſexu ſequiori vix centeſima quaeque puella anno duodecimo tributum ſoluat menſtruum, quod tamen ex HIPPOCRATIS *de genitura* effato, vid. BOHNIVM *Circul. Anat. Phyſ. Progymn. X V I.* naturae phaenomenon neceſſario requiritur ad diiudicandam femellarum pubertatem, profecto haec aetas nimis feſtinata videtur. Simile iudicium eſto de tempore pubertatis maſculorum, dum perraro anno aetatis decimo quarto aliquem inuenies puerum tanto a natura robore dotatum, vt hac aetate genus ſuum propagare valeat. Vnde iam QVINCTILIANVS *Inſtitut. Orator. Lib. IV. C. II. p. 319.* inter exempla iuris quaeſtionum refert: *pubertas annis an habitu corporis aeſtimetur.* Et in hoc iſtae nobiliſſimae ICtorum veterum ſectae, Sabiniani et Proculeiani, diſſidebant, teſte VLPIANO *T. XI. §. 28. Puberem autem Caſſiani quidem eum eſſe dicunt, qui habitu corporis pubes adparet, id eſt, qui generare poteſt: Proculeiani autem eum, qui quatuordecim annos expleuit. Verum Priſcus eum pu-*

berem

berem eſſe, vbi vtrumque concurrit, et habitus corporis et numerus annorum. Quo digito velut monſtrat SERVIVS *ad Virgil. Eclog. VIII. v. 39:*

Alter ab vndecimo tum me iam ceperat annus.

Id eſt tertius decimus. Alter enim de duobus dicimus. Et vult ſignificare iam ſe vicinum fuiſſe pubertati, quod de duodecimo anno procedere non poteſt. Bene cum annis iungit habitum corporis. Nam et in iure pubertas ex vtroque colligitur. Vt et *Aen. L. VII. v. 53:*

Iam matura viro iam plenis nubilis annis.

Non eſt iteratum, ſed ſecundum ius dictum, in quo et ex annorum ratione et ex habitu corporis aetas comprobatur. Et ISIDORVS *Origin. L. XI. Quidam ex annis pubertatem exiſtimant; id eſt, eum puberem eſſe, qui quatuordecim annos expleuerit, quamuis tardiſſime pubeſcat. Certiſſimum autem, puberem eſſe, qui et ex habitu corporis pubertatem oſtendat et generare iam poſſit.* Et auctores Iuris Pontific. C. 3. X. *de deſponſatione impuberum* Caſſianorum ſiue Sabinianorum ſententiae ſubſcripſerunt. Cum igitur vel adhuc Medicina forenſis pubertatem non ex ſola aetate, ſed praecipue corporis habitu, quando iuſtam membrorum firmitatem prae ſe fert, metiatur, vid. TEICHMEYERI *Inſtitut. Med. leg.* p. 6. nemo mirabitur, quod circumciſis ad citius ineundum matrimonium prae Chriſtianis praerogatiuam tribuamus. Extra omnem dubitationem apud Medicos poſitum eſt, apud Chriſtianos anno aetatis decimo tertio praeputium adeo anguſtum eſſe, vt glans penis ſine ſummo dolore denudari nequeat, qua re Medici hanc praeputii anguſtiam inter ſigna virginitatis iuuenilis referre ſolent. Licet ergo iuuenis eiuſmodi quoad robur et membri virilis erectionem quandoque ad concubitum aptus atque idoneus in-

uenia-

ueniatur, tamen ob praeputii anguſtiam eumdem ipſi generationi ineptum merito cenſemus. Ex hac ratione, puer tredecim annorum a ſuſpicione, quod ſtuprum fecerit cum ſcorto, idque ex puero grauidum ſit, a noſtro Ordine liberatus eſt, quae ad quaeſtionem: *Ob ein Knabe von 13 Jahren, wie Sempronius*, poteſtatem coeundi et generandi *habe*, ſequentem in modum reſpondit: *Ob wohl nöthig geweſen wäre, daſs uns von Sempronii Leibes-Statur - - - und inſonderheit von der* conformatione praeputii, *als welches bey jüngern* ſubiectis *mehrmahlen ſo enge, daſs ſelbiges und die Eichel zu entblöſen, nicht wohl kan zurück gezogen werden, umſtändlichere Nachricht wäre ertheilet worden; Dennoch aber und dieweil - - - So gewinnet es das Anſehen, als ob Sempronius bey ſo bewanden Vmſtänden, daferne er auch zu einem Beyſchlaf wäre verleitet worden, nicht fähig geweſen Surpillam zu ſchwängern.* L. d. 8 Dec. 1732. Quae cum ita ſint, TEICHMEYERO, qui l. a. de anno aetatis decimo quarto idem fert iudicium, merito calculum noſtrum adiicimus; *ſunt enim*, inquit, *ſi qui ſunt, pauci, qui anno hocce pubeſcunt, plures, qui ſexto demum ac decimo anno immo etiam paullo nonnumquam tardius ad pubertatem maturiores euadunt.* Quamquam autem Chriſtiani aeque ac Iudaei tempore ad pubertatem perueniant, tamen non poſſumus non quin circumciſos ob praeputii defectum multo citius puberes pronunciemus.

§. XXV.

Polygamia circumciſis eſt familiaris.

Hae gentes, cum adeo tenera aetate nuptias celebrare ſoleant, licitum ſibi habent, plures in matrimonium ducere mulieres. De Ebraeorum polygamiae licentia ſunt, qui volunt, iis olim non prohibitum fuiſſe quotcumque vxores ducere, modo alimenta et debitum coniugale vnicuique

praeſtare

praeſtare potuerint, quod eorum principes ita reſtrinxere, vt nemo duceret plures, quam quatuor vxores, tametſi eſſet opulentiſſimus. vid. MARSHAM. *Canon. Chronic.* p. 174. Idem de Turcis notum eſt, quibus aliquis eorumdem prophetarum *Surat* polygamiam conceſſit: *Ducite,* inquiens, *quot placet vobis de vxoribus, duas et tres et quatuor, niſi timetis, vt ſatisfaciatis cuique.* Hoc confirmat ANDR. RYERIVS *in ſummario Relig. Turc. Gallic.* dicens: *il leur eſt permis, d'avoir quatre femmes- eſpouſées en meme temps et autant de fille et de femmes eſclaves, qu'ils en peuvent nourrir.* Nec haec res caret veterum exemplis, qui, ſi quando ob cladem bello acceptam luemue peſtiferam iuſto minor ciuium videretur numerus, πολυγυνίαν ciuibus imperare non dubitarint, qualia ex hiſtoriarum monimentis collegerunt ALEXANDER ab ALEXANDRO *Genial. Dier. Lib. I. C. XXIV.* et HEINECCIVS *ad Leg. Pap. Popp. L. I. C. II. §. 2. et 3. p. 21. ſeq.* Sed etiam ea res a IO. LEYSERO multis argumentis in diſcurſu politico defenditur, quam tamen ſatis neruoſe refutatam inuenies a IO. DIECMANNO *in vindiciis Legis monogamicae,* ad quem breuitati ſtudentes L. B. remittimus.

§. XXVI.

Non igitur ſine fundamento argumentamur, quod gentibus ſupra in ſcenam productis circumciſio ad foecunditatem conciliandam admodum ſit neceſſaria ita, vt eadem non ſolum pro religionis charactere, ſed etiam ſanitatis ſubſidio ſit habenda. Si fides MVSITANO *Trut. Chirurg. T. II. C. 50.* habenda, praeputium in Ebraeorum et Turcarum pueris ita excreſcit, vt in nonnullis in monſtroſam degeneret magnitudinem, quo pacto mares ad coitum prorſus inepti fiunt. Nec is vnicus teſtis. DIEMERBROECK *Anat. L. I.*

Circumciſio orientali populo eſt neceſſaria.

Ob praeputii exceſſum.

C. 23. narrat, hanc corporis humani partem in Iudaeorum et Turcarum pueris ſextuplo maiorem excreſcere, quam in Chriſtianis, immo ante circumciſionem ad pollicis latitudinem multoque amplius vltra glandem prominuiſſe. Idem de Aegyptiorum et Arabum puerulis perhibet VESLINGIVS *Synt. Anat. C. IV.* Ne denique vllum de huius noſtri adſerti veritate remaneat dubium, lubet THEVENOTIVM adteſtari, qui *P. I. C. 32.* de hac re ita loquitur: *les Mahometans croient, qu'un homme aiant le prepuce coupe eſt plus propre a la generation; et veritablement les Arabes ont le prepuce ſi long, que s'ils ne le coupoient il les incommoderoit fort, et on voit chez eux de petits enfans, a qui il pend fort long, outre que s'ils ne coupoient leur prepuce, en urinant ils en retiendroient toujours quelque goutte qui les pollueroit.*

§. XXVII.

Hoc quandoque accidit Chriſtianis,

Putandum vero non eſt, quod tantum apud Ebraeorum et Turcarum filios natura in conformatione praeputii iuſto ſit liberalior, ſed et obſeruationes teſtantur, idem non raro Chriſtianorum filiis contingere. Notatu digna eſt hiſtoria, quam refert HILDANVS *C. IV. Obſ. LXXXI. p. 465.* de iuuene quodam viginti duos annos nato, cuius praeputium adeo monſtroſe excreuit, vt in mingendo vrina verſus abdomen proſiliuerit, quod tamen, vt videbatur, praeputium non tam membrana quam caro fuit, quae effluentem retinuit vrinam ita, vt Hildanus hunc hominem ad ineundum matrimonium incapacem pronunciauerit, quin amputationem ideo non ſine ratione ſuaſerit, qua peracta circumciſus in matrimonio ſatis commode vixit. Simile de puerulo duorum annorum, cuius praegrande praeputium ab Ebraeo reſecatum eſt, inuenies apud SCHENCKIVM *Obſeruat. Med. L. IV. Obſeru. VIII.*

§. XXVIII.

Iam id a nobis demonſtrandum eſt, omnes, quibus natura praeputia formauit iuſto longiora, ad coitum plane eſſe ineptos: quod concubitum ſemper magno cum dolore et incommodo agent, quod glans penis laqueo quaſi contorquetur, et materia ſeminalis in curſu ſuo naturali impeditur, quo fit, vt ſpiritus euaneſcat et coitus minus foecundus exerceatur, quod SCHVRIGIVS *Spermat. C. X. ſ. 12.* et NIC. VENETTE *de la generation C. III.* confirmant, dum hicce de hac re ita loquitur: *quelques hommes ont le prepuce ſi long, qu'ils ne ſont pas diſpoſes a ſe joindre amoureſement a leur femmes. La Verge eſt importune en cet etat et elle ne peut communiquer ſa ſemence, qu'elle ne ſoit evantée et que par ce moyen elle ne ſoit pas capable de la generation.*

Praeputio iuſto longiori praediti ad coitum ſunt inhabiles.

§. XXIX.

Ad morbos conformationis in praeputio occurrentes meretur referri, quando operculum, quod ſaepius nominauimus, adeo eſt anguſtum, vt glans penis denudari nequeat. Adpellatur hic morbus in Medicorum ſcholis e Graeco vocabulo φίμος phimoſis, Latinis capiſtratio; quod morbi huius natura ſit in conſtrictione. Solet hic morbus frequenter ab ipſa mala conformatione in vtero facta ſuam habere originem, vid. NVCK *Experiment. Chirurgic. p. 110.* Iam vero ex antea dictis conſtat, quod integumentum hocce laxum magis liberumque ac mobile in ſtatu ſano eſſe oporteat, vt, cum penis erigitur, ſine dolore ac moleſtia retroponatur, quare in ſtatu praeternaturali ſigna pathognomonica vnice in ſtrictura et anguſtia ſunt quaerenda. Dicit HAEFERVS *Herc. Med. L. III. C. VII.* Phimoſin eſſe morbum, vbi praeputium ita arcte clauditur, vt glans nec videri, nec ſemen et vrina libere tranſire queant.

Phimoſis prima ſpecies.

§. XXX.

Altera phimoſeos ſpecies.

Altera phimoſis eſt ſpecies, quando praeputium non tam anguſtum, quam glandi quaſi adnatum videtur. Licet adeo frequenter non contingat, vt praeputium vndique in orbem glandi adhaereat, nihilominus tamen teſte AMMANNO *Med. Crit. Caſ. XV.* non numquam accidit vt vices eorum, qui hoc morbo adflicti ſunt, prae illis infeliciores habendae ſint, quod morbi pertinacia omnem reſpuat medelam, nec aegroti de ſanitate recuperanda vllam ſpem concipere queant.

§. XXXI.

Phimoſis tertia ſpecies.

Phimoſis nomine nec incongrue ille morbus dici poteſt, quando glans penis non ab anguſto praeputio, ſed a breuiori potius freno in libero ſuo impeditur motu. Vid. WILH. FABRIC. *Obſ. Chirurg. C. VI. Obſ. 60. Amat. Luſit. C. V. Curat. XVII.* Iam conſtat ex §. VI. praeputium vinculo carnoſo glandi adhaerere, eumque in finem ibidem praeputio eſſe adfixum, vt peracto concubitu illud penis glandem iterum operiat. Quanquam hoc faciliori negotio remoueri poteſt, tamen mares tamdiu ad coeundum inhabiles redduntur, dum per adhibita remedia ab eo liberantur, quod mox pluribus ſumus demonſtraturi.

§. XXXII.

Praeputium penitus occluſum.

Inter naturae errores non minus referri debet, quando praeputium omni plane caret foramine, vt glans penis velata penitus, nec vmquam in conſpectum veniat. Huius exemplum proſtat apud HORSTIVM, l. c. qui refert, ſe vidiſſe ruſticum quemdam, cuius penis glans praeputio ita erat obducta, vt vrina inter glandem atque praeputium excerne-

cerneretur, hocque adeo extenderit, vt in mingendo ouum anſerinum magnitudine aequauerit, dum lotium per foramen ſibi paratum interea effluxerit.

§. XXXIII.

Sunt denique alia praeputii vitia, quae ad morbos conformationis non referri poſſunt, et iis, qui in matrimonio viuunt, magno ſunt impedimento. Raram non minus quam notabilem huius mali ſpeciem refert CHRIST. FRIDERICVS GARMANNVS *Epiſt. XC. p. 378*: A cicatricula a morbillis in praeputio relicta, quidam incurrit in phimoſin, vt ad me non ita pridem Dn. D. Godofredus Buxbaum, Phyſicus Ileburgenſis perſcripſit, qui matrimonii candidatus factus, mali ablationem vrſit, quam etiam ſectione facta obtinuit. *Praeputii anguſtia ex morbo.*

§. XXXIV.

Sed et eiusmodi anguſtiae ab aliis cauſſis eſſe poſſunt. Non rimabimur, vtrum plethora, ſeu oneroſa ſanguinis abundantia his in partibus ſtagnans, hanc creare valeat ſtricturam, HIPPOCRATE *L. IV. Epid. C. 20.* monente, paraphimoſin ab adfluxu ſanguinis eiusque inflammatione eſſe factam, ita vt argumentari valeamus, phimoſin ab ſanguinis ſtagnatione oriri poſſe. Quod lymphae vitio etiam idem morbus ſuos interdum debeat natales, hydropicorum teſtantur exempla, quippe quibus adeo monſtroſa praeputii eſt compages, vt glans penis penitus obducta videatur. Omnes in genere humorum ſtagnationes eorumque defluxiones ad has partes fibrarum motricium ſtricturam et anguſtiam, quae capiſtri ad inſtar in conſpectum venit, creare ſolet. Mirum eſt exemplum huius vitii, cuius meminit SEVERINVS *de effic. Med. P. II. C. 18. interdum*, inquiens, *tam* *Continuatio prioris.*

copio-

copioſe ad has partes adfluit eiusmodi proluuies, vt in homine quodam praeputium circumquaque alte ſarcomatis concremento turgens nouem librarum pondere exſecuerim. Frequentiſſime hoc malum reportant cum infecta et venerea lue conſpurcata coitum exercentes, vid. BLEGNII *de arte curandi luem veneream P. II. C. IV.* qui tamen prae reliquis phimoſi laborantibus tanto infeliciores habendi ſunt, quanto magis adflicti, debitam medelam iuſto tardius adhibentes, fatalem ſibi prognôſin faciunt. Conf. IEAN BAPTIST VERDVC *Pathologie de Chirurgie T. II. p. 533.*

§. XXXV.

Omnes mares, qui praeputio anguſto laborant ad coitum ſunt inhabiles.

In vnum contrahamus, quae de diuerſis phimoſeos ſpeciebus in medium protulimus. Ad ſobolem procreandam inhabiles ſunt, qui dictorum quodam laborant vitio. Coitus enim foecundus exerceri nequit, ni membra vtriusque ſexus generationi deſtinata mutuo cohaereant et maris penis in vaginam vterinam intromittatur, quod ab iis vix ac ne vix quidem fit, quibus pellicula haecce carnoſa vel ab ipſa natura male eſt conformata, vel quibus morbi eamdem anguſtam reddiderunt. Praeputium ergo, neceſſe eſt, vt neque qualitate neque quantitate naturae regulas excedat, ſed potius ita ſit comparatum, vt tempore concubitus ſine dolore reponi ſeque infra glandis coronam recipere queat, quod confirmat ROLFINKIVS *de part. generat. dicat.* cuius haec: *vbi praeputium adeo eſt anguſtum, vt glans nequeat perforare, ſumma in coitu oritur difficultas: neque enim vrina neque ſemen liberum exitum inueniunt.* Simile eſto iudicium de iis, quorum praeputium pertinaciter glandi adhaeret, de quo cum §. XXX. mentio iam facta ſit, vberius hic diſſerere ſuperuacaneum eſſe arbitramur. Quando vero frenum adeo breue, vt glandem penis capi-

ſtro

ſtro quaſi retrahat, eamque incuruet, hoc vitium, vt cum ZACHIA *Qu. Med. legal. L. IX. T. 3. Qu. 3. ſ. 7.* loquamur, *notabile impedimentum praebet in copula exercenda. Membrum enim curuum redditum in ipſo cohabitationis actu ſemen non ad internum vteri fundum, ſed ad ipſius latera eiicit.*

§. XXXVI.

Cum matrimonii finis primarius in ſobolis generatione conſiſtat, concludendum eſt, omnes, qui vna vel altera phimoſi laborant, ad matrimonium ineundum plane eſſe inhabiles, quod a maioribus ordinis noſtri Medici hic Lipſiae anno 1621. reſponſum fuit, vid. VALENT. *Corp. Iur. Med. leg. P. I. S. I. C. 11.* a quibus diſcedere noluit ALBERTI *Iurisprud. Med. T. I. p. 37.* Etſi quidem nos non fugit, cauſſarum patronos in foro vel ſynedrio eccleſiaſtico circa hanc quaeſtionem litem ſaepius mouere adſerentes cum HIER. ab AQVAPEND. *Oper. Chirurg. C. LXII.* phimoſin non ſemper generationem impedire. En ipſa eius verba: *Exiſtimant nonnulli, id generationem prohibere, quod ſemen per anguſtam viam eiaculatum refrigeretur. Ego tamen vidi eiusmodi homines liberos genuiſſe, et toto vitae tempore ita praeputium geſtaſſe absque moleſtia; et quamuis Celſus hoc vitium graece φίμωσιν adpellet, videlicet coarctationem, tamen nullum ex ea imminet periculum niſi forte fortuna excrementum acre inter praeputium et glandem nonnunquam colligatur, vt paſſim ſolet, et erodat ac tectum locum curare non poſſimus cet.* Licet vero haec ad primam phimoſis ſpeciem referenda tantum videantur, tamen huius controuerſiae cardinem non mouent. Si enim verum eſt, quod actus connubialis exerceri nequeat, ni praeputium retroponatur, nec il- *Phimoſis an impediat matrimonium.*

le cum moleſtia et graui dolore fiat, quod ſaepius monuimus, merito illos, qui hoc vitio laborant, tamdiu ad ineundum coniugium ineptos declaramus, quam legitima ratione curentur.

§. XXXVII.

Diſtinguendum eſt inter phimoſin curabilem et incurabilem.

Si ergo dicendum, quod res eſt, diſtinguendum eſſe opinamur inter phimoſin, quae medelam admittit, et illam, vbi oleum et opera perduntur. Si prius, quando praeputium ſolum anguſtum eſt, ille, qui tum pro impotente habendus, poſt abſolutam curationem integritati reſtitutus cenſendus eſt. De curationis methodo phimoſeos AMMANNVS *Paraen. p. 439.* ita: *Si curationem ſuſcipere velis, ante omnia ſpatula tentare debes, vtrum praeputium in orbe glandi ſit adnatum, ſi eſt, noli curam ſuſcipere, eſt enim impoſſibilis, ſi vero glans aut balanus a praeputio eſt libera, tunc incidendum eſt praeputium vnica inciſione ad longitudinem articuli primi in pollice, vitando venam pudendi magnam in praeputium excurrentem; qua peracta callus diſſectis partibus inducendus eſt.* Pari ratione frenulum iuſto breuius, penem retrahens, ſine omni periculo reſecare poteſt, et vitium commode aufertur, quod antea matrimonii candidato erat moleſtum. De illa phimoſi, quae a ſola dependet humorum craſſorum ſtagnatione ab impuro congreſſu orta, haud opus eſt dicere, quippe quae ſua ſponte cedit, morbo curato.

§. XXXVIII.

Concluſio.

Cum ergo ex ſuperioribus conſtet, quod praeputium variis modis mares ſteriles et ad coeundum ineptos reddere queat, neminem nobis vitio eſſe verſurum, confidimus,

mus, ſi populum illum, qui ſiue religione, ſiue conſuetudine praeputia reſecat, foecundiorem et ad propagandum genus humanum magis aptum idoneumque adpellamus. Fauet huic noſtrae ſententiae TEICHMEYERVS *Inſtitut. Med. leg. C. XV. p. 118.* cum dicit circumciſionem potentiam coniugalem non impedire, ſed eandem potius augere, quod Iudaeorum, Turcarum ac Perſarum confirment coniugia. Multi ſine dubio inter Chriſtianos vel ex verecundia vel ignorantia ad ſobolem procreandam inhabiles ſunt, dum vitioſam praeputii conformationem debita medela corrigere negligunt, cui vero omnes Iudaei, Mahometani, Perſae et caeteri orientales populi ſuperſedere poſſunt.

FACVLTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PRO-CANCELLARIVS
D. AVGVST. FRIDERICVS WALTHER

CONSILIARIVS AVLICVS ET ARCHIATER
REGIVS THERAPEVT. P. P. ET MEDICORVM
ORDINIS DECANVS

PANEGYRIN MEDICAM
INDICIT
ET
DE VENA PORTAE
EXERCITATIONIS ANATOMICAE
PARTEM PRIMAM
TRADIT.

V. l. 8323.

Duo venae portae maiores hepatici rami cognoſcuntur.

Emendatae anatomes ſtudioſi plures humani corporis vaſorum truncos, atque ramos, diligentius inter ſe comparant, et incredibiles eorum varietates, qua numerum, ſitum, et magnitudinem, ſolerti opera retegunt, et admirantur. Neque vero prudentes humani ſeminis, ita per ſe praepotentis viſi, aut conſtruendarum rerum ignarae imaginationis, nedum harmonicae alicuius, praeſtitutaeque euolutionis rationes, virtutumque elogia, quin potius meri arbitrii, pariter, atque operis diuini clariſſimas notas, certiſſimaque argumenta inde petunt. Quandoquidem ab hoc admirationis, artisque ſtudio nos neque alieni ſumus; igitur, hac parte venae portae deſcriptionis, eius nobiliſſimi vaſis duos maiores ramos commemorabimus, qui in fiſſura, vel hiatu [1]) hepatis obſeruantur, deinde celebrem eius venae ſinum, vna cum communi vaſorum plurium hepaticorum inuolu-

1) vid. *Io. Riolanus* Enchirid. Anatom. Lib. 2. Cap. 20.

cro perſtringemus, et reliqua, quae merentur adnotari,proſequemur. Atque portae vena, in hepatis limine, ſtatim in maiores duos diuiditur ramos, et hos perinde ſulcus excipit, qui viſceri inſculpitur, atque praeterea arterias, et neruos comprehendit, quot iuxta hanc venam ſunt. Ex his ramis prior dupla circiter parte cum ſemiſſe longior poſteriore eſt, et ad vmbilicale ligamentum extenditur; cum breuior, qui multo quoque amplior eſt, fere in oppoſitam hepatis fert partem;[2]) vbi ab recto intra ſulcum inceſſu mox deflectit, atque viſcus altiſſime ſubit. Haec duorum ramorum ſedes, iuxta ceruicem fellis veſicae, et quidem in caua hepatis parte incipit, et nexus vmbilicalis ligamenti cum hepate loco finem habet. Quodſi tum anguſtioris,et prioris, tum vero amplioris, et poſterioris rami ambitus menſuris ac numeris definiatur, et, addendo, capacitatum vtrorumque ramorum ſumma fiat, deinde vero, ſi haec ſumma cum ambitu venae portae trunci ſcienter comparetur, tunc rami maiorem craſſitiem prae ipſo trunco exhibebunt. Idem vero experiri, et inuenire licet, cum praeter duos illos maiores ramos, quos in ſingulari ſulco, tramiteque plantari diximus, tertius quoque, ac minor ramus additur; quoties hic ex trunco, et angulo illo prodit, vbi in duas partes, quas modo retulimus, portae vena dirimitur. Nam hic tertius ramus, in multis, ab principio trunci alterutrius partis ortum ducit, nec eidem ſingularis via in viſceris ſuperficie vnquam ſtruitur, ſed ſtatim is hepar ſubintrat, et, in

aliis

2) Vtrumque ramum vtcunque delineauit Riolanus l. c. Tab. 4. fig. 6.

aliis ſubiectis, huius paruo lobo praecipue impenditur, in aliis vero cyſticas praeterea duas, vel tres venas, felleae veſicae impertit; praeſertim, vbi ante viſcus, ex venae portae trunco, ſicut ſaepenumero adcidit, cyſticae gemellae aliorum ſcriptorum non educuntur.

De ſinu venae portae agitur.

Plurimi anatomici, praeſtantiſſimique viri, qui poſt *Franciſcum Gliſſonium* [3]) floruerunt, venae portae truncum, eo ramorum loco, quem modo indicauimus, in ſinum ſatis ingentem et amplum [4]) expandi voluerunt. Attamen, neque angulum, fere obtuſum, factumque, vbi truncus in ramos illos diuiditur, neque vero diuerſam vtriusque inſignis rami amplitudinem, aut longitudinem, *Gliſſonius* recte aduertit, et delineauit. Quodammodo melius haec poſt *Andr. Veſalium* [5]) tabulis diſtinxerunt *Riolanus* [6]) et *Will. Cowper*; [7]) tantum monendum eſt, vt, ab dextris quae in corpore poſita ſunt, cum ſiniſtris ne confundantur. *Iames Drake* [8]) duos maiores ramos verbis melius, quam icone diſtinxit, et hic ſinum in venae trunco, locoque priori quaeſiuit, quam ille eſt, vbi is demum in duos maiores ramos diuiditur. Nihilo minus haec lis, et omnis adpellationis ratio eo redit, ac illa controuerſia, quam de porta, inter hepatis lobos, aut in viſceris hiatu obliquo, qui ramos excipit, aut denique inter πύ-

3) Anatomia hepatis Cap. 25. p. m. 242. 255. 292.
4) vid. *Herm. Boerhaue* Inſt. Medic. Edit. A. 1727. de hepate §. 338.
5) de Corporis humani fabrica L. 3. c. 5.
6) l. c. Tab. 4. fig. 6.
7) Anatomy of the human Body Ed. Lugd. Bat. 1738. Tab. 338. fig. 5.
8) Anthropolog. Nou. Cap. 16. p. m. 108. Adpend. Tab. 6.

λας vetuſtiſſimorum medicorum quaerenda clariſſimi viri mouerunt. Neque tamen de his vltimis ita priſci quoque medici inter ſe conuenerunt, vt poſteri diſputatione ſuperſedere potuiſſent.[9]) Nos πύλας ad ingreſſum venae portae in cadaueribus variare, inferioremque viſceris protuberantiam ſaepe vix notabilem eſſe, obiter monemus. Sed loco, quo portae vena hepar ingreditur, ceteroquin rarius, aut vix in corpore obuii nihil adparet, praeterquam quod maior vterque trunci ramus ſtatim in ſulco hepatis plantatur, et viſceris partem ſuperficiei, ad quam fundo ſuo adſtringitur, veluti cingit, et ita lacum, ſed trunco anguſtiorem fingit. Ceterum, ex arteria quoque aórta ſanguinem in ramos fluere, qui, ſi ſimul aeſtimentur, ampliores trunco ſunt, vt inde demum fluminis velocitas minuatur, hoc *Iacobus Keil* recte adnotauit;[10]) et niſi omnia nos fallunt, id ipſum in directa omnium arteriarum via, et diuiſionibus, conſtans, ac perpetuum habetur; ſicut diuerſa ratione per venas, quae intra corporis partes fiunt, ſanguis ad cauam vsque venam refertur, et fluit. Quam ob rem, ſi venae portae ſplenicus quoque ramus, et meſeraica vena ſimul ſpectentur, tum ambitu ſuperabunt ipſum venae portae truncum; quanquam portae vena arteriae vices in ipſo hepate tum praeſtet, tum vero in arteriae quoque modum ſcindatur in partes, et ſanguinem diffundat. Contra, in embryone, quoad prior hepaticus venae portae ramus ab vmbilici

bilici

9) Vid. *Io. Riolanus* Anthropogr. L. 2. C. 21. de hepate et *Veſalius* l. c.

10) Tr. de Secretione Animali.

bilici vena continuatur, natura ab hac, ceteroquin magis conſueta truncorum et ramorum ratione deflectit, cum eandem partem primum triplo, deinde duplo circiter capaciorem ipſo portae venae trunco fecit; neque tamen hic venae inſitionis locus nomine ſinus ab anatomicis inſignitur.

De capſula Gliſſonii diſquiritur. Singulari mentis attentione neque diſtingui capſula meretur, quam, poſt inuentorem *Gliſſonium*, plures ſcriptores magnopere verbis extulerunt; ſcilicet, quoad pinguis membrana, quae plura vaſa, quotquot ad hepar contendunt, tenet, et inuoluit, praeterea venae portae aliquo modo in transferendo ſanguine auxiliari cenſetur: [11]) vel, vbi hanc membranam, ob carnoſarum fibrarum vim, inter ſinum venae portarum, et cor, deinde, inter ramos quinque huius ſinus, et inter arterias, ex cordis cauitatibus ortas, aliquam ferre, et praeſtare ſimilitudinem dicitur. [12]) Nos cum *Iohanne Fantono* facimus, et adcurate obſeruauimus, illam vaſorum vaginam carneas fibras intextas non habere; ſed doctiſſimi *Fantoni* [13]) verba adiicimus, quod liber apud nos in pau-

11) *Gliſſonius* l. c. Cap. 28.

12) *Boerhauen* l. c. de actione hepatis §. 338. 350.

13) Anatomia corporis humani Part. I. Diſſ. 6. p. m. 109. Hoc vaſorum hepatis inuolucrum non pure membraneum eſſe, ſed carneum, et muſculare Anatomici adfirmant, ac ii praeſertim ita ſentiunt, qui de rebus medicis doctiſſime ſcripſerunt. Hi conſtringendis portae ſinubus, et ramis: illi biliferis ductibus, vt ſanguinis aut bilis fluxus vrgeatur, muſcularem vaginam prodeſſe aiunt: alii vero vtrumque aſſerunt. Miror equidem quod eruditus Needhamius tanta praeditum energia hoc inuolucrum dicere non vereatur, vt tanquam pro altero corde habendum velit; Id ipſum

paucorum manibus ſit. Verum de fibris, quas hic
fortaſſis

ipſum enim iecori praeſtare hanc capſulam ſtatuit, quod pulmoni, aut corpori vniuerſo praeſtitum a corde omnes nouerunt. Ego vaginam hanc ab aliis, quibus ſolet natura faſciculos vaſorum obducere, diuerſam vix eſſe nunquam non ſum arbitratus: quae quidem minus ad contractionem, compreſſionemque contentorum in vaſis humorum, quam ad vaſa munienda comparata videntur. Sic vmbilicalia, ſic ſplenica, ſic ſpermatica, ſic etiam in capris mammaria membranoſo inuolucro veſtiuntur. Talis inquam vagina in caprae vberibus arterias cum venis, alicubi etiam cum vaſis lymphaticis comprehendit, vt praeclari Autores Bibliothecae Anatomicae obſeruauerunt. Cur autem vim contractiuam vaginae, qua continentur arterioſi canales, tribuamus? cum nec ii contrahi aliunde debeant; et, ſi qua in faſciculo vaſa propulſari oporteat, aptiſſime agitari arteriarum vibrationibus valeant. Magis in hac ſententia confirmatus ſum, cum viderem, lienarem capſulam ſub arteriis et neruis, vt Malpighius annotauit, craſſiorem, denſioremque eſſe, vbi tenuiorem eſſe oportebat: cum tota vis contractiua iuxta venoſos ſinus impendi deberet. Nuperrime vero, cum cauam iecoris partem diligentius in homine examinarem, obſeruaui ramos aliquot venae portae ſociari quidem ramis arterioſis atque biliaribus, ſed tenuiſſima vagina obduci: triplex inſuper genus hoc vaſorum non perpetuo in vaginali propagine ſimul decurrere. Porro faſciculi fibroſi, qui forte haberi pro carneis poſſint, circa venae portae ſaccum exterius conſpicuum, vbi in iecoris ſinu vena recipitur, ac potiſſimum iuxta minimum iecoris lobum occurrebant. Et paullo poſt: Quam ob rem Bellino eruditiſſimo aſſentiri non poſſumus, cum biliari trunco intra iecur, eiusdemque ramis aduolutum muſculum ſtatuit, quo directionem motus bilis firmius atque elegantius demonſtraret. Qualiscunque enim vagina occurrat, ea ad portam maxime pertinet, quae quidem manife-

fortaſſis pro carneis alios habuiſſe putat, nos [14]) clarius olim nonniſi neruos his locis adrepere, et ipſos membrana, quae ab paruo omento locisque vicinis aduenit, et vaginam illam facit, occultari docuimus. Nam, præter neruorum fila, quae mire inter ſe implectuntur, et frequenti numero ab dextro ſtomachico, deinde, ab coeliaco, et meſeraico ſuperiori plexu, et horum duorum gangliis, quin etiam ab dextri intercoſtalis nerui ſemilunari ganglio, ad illam pinguem membranam, et vaginam, vndique conueniunt, et verſus hepar cedunt, haud ſupereſſe fibras luculeuter cognouimus; nedum, vt adſint, quae carnearum indolem teſtentur, aut praeterea opportunum quoque poſitum hoc loco tales inueniant, vt ſingularem motum praeſtare poſſint.

Venae hepaticae adduntur, quae ex duobus maioribus venae portae ramis prodeunt.

Verum, ad trunci venae portae praecipuos ramos, quos in hepatis fiſſura plantari diximus, modo reuertimur, vnde nos paulio ante digreſſi ſumus. Ex his prior, et longior, in progreſſu ſuo, plerumque vnam alteramque lateralem minorem venam ad hepar mittit, ſed ex vaſis fundo, praeter vnam vel alteram, exiguamque propaginem, paullo notabilior alia prodit; ſcilicet, vbi ad umbilicalis ligamenti locum propius itur. Inde enim vero haec venae portae pars in duos vel tres angulos, ramosque, hepatis

 fiſſu-

nifeſtior eſt, vbi in limine iecoris veluti lacum quendam vena ipſa efformat. Interea rem hanc in humano, et bubulo iecore animus eſt vltro inueſtigare, cum Diſſertationem noſtram de venis aggredimur.

14) Parte altera anatomes neruorum paris intercoſtalis et vagi, edita Lipſiae, Programmate in Gerberi promotionem A. 1735.

fiſſurae ſub finem, diuiditur, et ex tot velut ſinibus, et antris, plures rami hepati obſeruntur. Ex his nouis venae partibus duabus, vel tribus, inferior ceteris amplior, et magis notari meretur, quod in tenerae aetatis hominibus, rariſſime vero in adultis, ad vmbilicalem venam, via, intra ſe aliquantum aperta ſpectetur. Illi enim vero vmbilicalis venae veſtigio, in vaſis fundo, oblique venae antea dictae oſtium opponitur, vnde in foetu, praeter vnum, alterumque ſurculum, ſtatim inſignior canalis venoſus oritur, qui ad vtramque et portae, et cauae hepaticae venam pertinet; licet ipſe canalis, poſt natum hominem, concidat, et, per aetatem, vel occludatur, vel minima parte ſupereſſe obſeruetur. Nam, in iuniorum hominum cadaueribus, vbi aer experimento in hoc oſtium infertur, tum minor eius pars per proximum, cauae venae ramum, rariore exemplo redit. Eſt autem vena vmbilicalis, in embryone, circiter quintuplo amplior, quam truncus venae portae, quin ſingulus ex binis, in fiſſura hepatis obuiis venae portae ramis vbiuis capacior trunco eſt, vt potius, venam vmbilicalem pro trunco communi haberes, [15]) qui ea ratione in hepate tenuior fiat, ſicut numerus, et quantitas ramorum, qui venae portae ceteroquin adſcribuntur, augeri obſeruatur. Verum, in adultis, et iuxta illud oſtium, quod vmbilicali ligamento opponitur, ſubinde duo, imo tria, ab latere, vel quatuor habentur minora venarum oſtia, e quibus duo aerem, cum tubulo illatum, tantum ad cyſticas ferunt venas: tertium vero, imo ſubinde quartum oſtium

15) Sicut recte adnotauit Cl. *Albertus Hallerus* de foetu bicipiti ad §. 5. not. b.

oſtium ad ramos ſpectat, qui per membranoſum ligamenti vmbilicalis et hepatis commune vinculum pergunt, et, in hac via, fundo cyſtidis ſurculum, deinde alios viſceri, et ligamento impertiunt. Quod vbi ita adcidit, tum cyſticas illas venas inferiorem et minorem prominentiam, ſiue portam pertranſire, et ad cyſtidem felleam pergere, illarumque venarum vices explere obſeruauimus; quae in aliis ab trunco, extra viſcus viſo, vel in aliis, ab trunci adcedentis ramo, et ex angulo diuiſionis nato, oriuntur: qui ramus, de reliquo, maiori viſceris prominentiae, ſiue paruo lobo proſpicit; quemadmodum nos ab initio hanc rem commemorauimus. Ceterum, duo vel tria notabiliora venarum oſtia hoc loco ſuperſunt, quae ad maiores venas ſpectant. Nam totidem circiter venae ex duobus quoque reliquis, et paullo minus ſinuoſis venae portae longioris rami finibus, ab hepatis hiatu, ad viſcus progredi ſolent. Tandem, de ampliore, et breuiore, poſterioreque venae portae ramo vnum vel alterum exilem ſurculum, quem e fundo reddit, nunc addimus: inde vero is ſtatim ſinum parat; et hoc antro, alueoque, anatome quidem aperto, numero plura, ac magnitudine varia oſtia conſpiciuntur, quae ad hepatis venas, in omnes fere plagas directas ferunt. Sed, quod feliciter nunc euenire cupimus,

Vir Clariſſimus et Doctiſſimus Dominus

M. IO. GEORG. HOFFMANN,

LIPSIENSIS,

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS.

poſtquam omnes curas, cogitationesque, per hos

decem

decem annos, in ſapientiae,et artis ſalutaris ſtudium contulit,et publicas,priuatasque Profeſſorum explanationes diligenter auſcultauit, et examina conſueta ſuperauit,demum ab ordine noſtro petiit, vt Licentiam conſequendi Doctoris titulum ſolemni ritu impetraret.Quo igitur iure merentes complectimur,et induſtrios honoribus excitamus, vt Reipublicae laborum ſuorum fructus referant, hoc nos animo, conſilioque aequiſſimo commoti, ſupremos in Medicina honores illi decreuimus. Cuius votis, et expectationi vt fieret ſatis,hoc mihi indulgentiſſime demandatum eſt, vt Procancellarii munere defungerer, et, poſtquam diſputationem noſter *de cauſſa foecunditatis gentis circumciſae in circumciſione quaerenda*, d. XXIII. Ian. defendit, Licentiam,quam efflagitat, illi impertirem. Vos, *Rector Academiae Magnifice*, *Comites Illuſtriſſimi*, *Proceres vtriusque Reipublicae Grauiſſimi, atque Ciues Generoſiſſimi et Nobiliſſimi*, quaeſumus, hoc date honori eius et ornamento, vt frequentes conueniatis. Nos, hoc prolixi adfectus et beneuolentiae teſtimonium mutuis, quibus poſſumus, officiis demerebimur, et laudabilibus coeptis, ac inſtitutis Veſtris perpetuo fauebimus, et adplaudemus. Lipſiae Anno MDCCXXXIX.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

RD
590
B94
1739